



Claudius ille felici ingenio fretus artiū & lin-
guarū studio in Academia Basiliensi magna
diligentia operam dedit, & in ijs egregie profecit.
Inde quoq; animum ad Iuris studia cōuertit, & in
eo adeo uersatus est, ut omnium cōsensu Iuris Do-
ctor crearetur postea quoq; exteras nationes inui-
sit, atq; suam eruditionem cumulauit. Itaq; factum
ut regij iudicij Austriacorum in Ensisheim Can-
cellarius constitueretur. In ea uocatione is singula-
ri dexteritate perseuerauit, atq; res sibi commissas
ob magnam animi prudentiam & raram facundiā
optime expediuit. Erasto quoq; & uiris passim
in Europa doctissimis notus atq; in primis familia-
ris fuit. Scripsit etiam orationem apologeticam in patrocinium Iuris ciuilis,
contra affirmantes, legibus cum Euangelio parum cōuenire. Item Paraenesin
de ratione studij legalis, atq; topica legum exemplis illustrata. Prēterea de po-
testate Papæ, Imperatoris, & Concilij. In libros quoq; tres priores Institutio-
num paraphrases, & De officio iudicis libros duos conscripsit, quę omnia Ba-
sileæ fuerunt edita & publicata. Hoc modo factum ut Claudio ob multipli-
cem eruditionem magnam sibi autoritatem compararit. Claruit is po-
tissimum anno 1530. Cum hoc modo diu officio Cancellarij præ-
fuisse, tandem senex obiit, & apud suos sepultus fuit,

Anonim,